Ann. IX. | Romae, Kal. Martiis MDCCCCVI. | Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum,* est: in Italia Libellarum 4,80; ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo Lib. 0.10 pro *unoquoque centimetro quadrato.*

Cuncta mittantur ad Aristidem Leonori *equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA		IN ANGLIA	IN GERMANIA	IN CANADA
Apud Gebethner et Wolf	Apud "Kronika Rodzinna"	Apud Burns and Oates	Apud Fridericum Pustet S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.	Apud Librairie Granger Frères
VARSAVIAE POLONORUM Rakowskie Przedmiescie, 15.	VARSAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie, 6.	LONDON W. 28, Orchard Street.	RATISBONAE in BAVARIA.	MONTREAL 1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

ROMAE

EX OFFICINA *PACIS*, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCVI

Ann. IX. ROMAE, Kal. Martiis MDCCCCVI. Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

PIO X PONT. MAX.

IN DIEM NOMINALEM, FESTUM S. IOSEPHI.

Mitte funestos, PIE, cogitare
Hac die casus. Ubi lux refulsit
Festa Iosephi, brevis hora currat
Nescia luctus.

Anxias eheu! tibi sol revolvet
Crastinus curas, cavus unde fronti
Incidit sulcus, niveique circum
Tempora crines.

Quae regis, Pastor, pia septa, denso
Quam patent hosti! Quot ubique tela
In tuos strident! quot acerba sentis
Vulnera, custos!

Utque Gallorum fera saevit in te
Vis! Ibi luges atavis nepotes
Impares, ausos abolere patrum
Foedera sancta.

Ad nefas tantum, cita sub sepulcris
Ossa maiorum fremuere, voxque
(Clamor immensus) tonuit, tremendae
Nuntia poenae.

Iure tu caecos, Pater, arguisti,
Qui suis Christum pepulere terris;
Crux ubi victrix latet, et Megaera
*Foeda triumphat.**

Ecce nunc moerent violata templa.
"Templa - sic Fiscus - mea sunt; sacerdos,
Ostium sacrum resera; patescant
Aurea vasa.

Ius nec opponas vetus; obsoletos
Spernimus ritus, nova gens; profanas
Sanximus leges; placet in theatra
Vertere templa.

Vester hinc migret Deus; hucque tendat,
Quo cucullati (nigra turba) fratres
Iam profugerunt, sociaeque tonso
Crine sorores.

Sacra ni Fisco reserentur ultro
Tecta, districtis gladiis patebunt:
Miles irrumpet .... „ - Rubuitque fuso
Ara cruore.

O Pater, fletum cohibens, Patronum
Flecte Iosephum prece, quem rogabis,
Galliae, ne sit peritura, fidus
Tutor ut adsit.

Qui, revertenti Solymam, Puello
Dux fuit divo, ferat expiatis
Pristinum Gallis decus, et regressi
Munera Christi.

Reddat et pacem reliquis per orbem
Gentibus: quae tu, Pater, auspicata,
Laetus et longo fruiturus aevo,
Tempora cernas.

F. X. Reuss SS. Red.

* *Qui nunc Gallis imperitant, imagini Christi crucifixi, iussae a scholis amoveri, a nosocomiis atque ab aula quacumque publica, effigiem subrogarunt " Mariannae „, rusticae nempe viraginis, pileum gerentis Phrygium. Quod simulacrum veluti palladium Reipublicae habetur, ex quo, sub finem saeculi XVIII, regicidae in Gallia monarchiam everterunt.*

DE BELLO VETERE ATQUE RECENTIORE.

Poetarum mentes, qui divite ac splendida aetate humani generis felicitatem cupiebant, aureum effinxere sibi saeculum in quo ver esset aeternum, nullae inter homines querelae aut rixae, sed mel darent quercus atque dulce rivuli lac.

At humanum genus, bonum semper maius quamvis paullatim sit assequutum, et cruentam rabiem late iam perdomuisse videatur, quo magis mens et animi excolebantur, eo magis insanas voluntates cohibuit.

Homo homini quum esset lupus, primaeva tempora ea erant, ut nihil esset sanctum, lex nulla nullaque pactio vigeret, sed iura vi parerentur atque sustinerentur armis.

Conditis vero primis civitatibus collatisque civium viribus, assidua unam inter et alteram rempublicam contentio fuit et bellicus furor continuo vixit. Usus itaque atque consuetudo vivendi in re publica armis sunt constituta, nec optimus civis esse poterat, nisi qui bellica virtute super ceteros emineret.

Bellum eam ob rem quasi consueta hominum conditio factum est, idque non lene neque temperatum, sed cruentum horridumque, supra quam dici possit. Namque bellantium crudelitatem non pactiones amicae, nec sancta foedera, neque humanitatis leges mitigabant, sed furoris atque crudelitatis plenum erat arbitrium atque princeps: belluarum more pugnae gerebantur, nec fugientibus parcebatur, nec captivis erat salus.

Et profecto quum barbarorum historias repetimus, nihil aliud legimus, quam clades et sanguinem. Osagum, Irochensium, Luisianorum, Seminolium annales turpissimas paginas tantum habent cruore et sanie descriptas.

Horrent profecto ea gesta oculi animique; sed si ad humanitatis nostrae memorias convertuntur, meliora profecto non vident. Nam Phoenicia gens belli captivos in candenti idolo Moloch dei concludebat urendos; Parthi, abscissis dexteris, vivos sepeliebant; Poeni Saturno sacros immolabant.

Bonorum direptio, vastatio agrorum, servitus atque depopulatio bellum quodvis comitabantur. Ilium captum Graeci solo adaequarunt; Priamus senex iugulatos videt se coram natos quinquaginta, ipseque postremus, hostia diis, cadit. Regiae foeminae vinctae abducuntur, aut ferro necantur, aut rediguntur in servitutem. Hectoris exuviae, fortissimi atque humanissimi ducis, quadrigae illigatae ter circa urbem pertrahuntur.

Persae Dario subditi pedesque manusque captivorum secabant; Athenienses, Minervae

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVI.

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80; ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM

COMMENTARII "VOX URBIS" POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM

ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:

Cuique ex subnotatoribus tum in Italia, tum apud exteras gentes, qui ante expletum Februarium mensem pretium uti supra mittat, facultas erit retinendi decimam partem ipsius pretii.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem – bibliopolis exceptis – dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino fruetur.

Aristoteles enim (*De partibus animal.*, lib. III) narrat cor esse fontem omnium sensum, vitaeque ac sanguinis. Aristophanes in *Nebulis:* « Animum tamen mordens meum, sic inquam »; ac Theognis: « Et rodor mentem et sum animi ambiguus ». Videtur ex Homero sumptum. (*Iliad.* κ, ξ, ω; et *Odyss.* ι).

NOVUM APOSTOLICAE SEDIS DECRETUM DE CANTUS GREGORIANI EDITIONIBUS.

Meminerint lectores a Sacr. Rit. Congregatione d. XI mens. Augusti an. MDCCCCV vulgatum fuisse decretum de cantus gregoriani editionibus, quod in nostras paginas eiusdem anni num. IX retulimus. Atqui, ortis de re nonnullis dubiis, S. C. in argumento novis d. XIV elapsi mensis Februarii vulgatis constitutionibus instituit, quae tum superiores confirmarent, tum peculiaria alia eaque magni momenti explanarent.

Haec ad operum reproductiones spectant, quae signis auxiliaribus in typis utantur. Atque primum quidem Sacra Congregatio sine ulla conditione recognoscit adprobationes a se vel ab episcopis hucusque concessas; deinceps vero adprobationes easdem non a se datum iri statuit, sed a locorum Ordinariis, qui, peritorum testimonio, quem ad modum in decr. d. XI mens. Augusti an. MDCCCCV constitutum est, atque iisdem datis conditionibus, opera Vaticanae editioni conformia recognoverint.

Quae quidem ut caverentur necessaria apparebant: factum est enim ut renovatae plures editiones, primam Vaticanae editionis partem reproducentes, sincere quamquam, aliquot notarum formas (praesertim « liquescentium », prouti vocantur) « neumaticorumque » glomerationum dispositionem immutaverint, atque item ipsam concentuum musicalem substantiam, quae inde nonnumquam pendet.

Quam maxime autem in novo decreto videre placet id est, Sacram Congregationem rata facere opera quae signis rythmicis Solesmensis editionis usa prodierint, iam primum ac pluries a S. C. adprobatis. Ea enim opera, graphice exprimentia exequutionis normas per signa – quorum novum decretum probat usum – adiacientia notis, suam e traditione prolatam formam servantibus, praeter quam quod musicae per « notas quadratas » scripturam minime turbant, rythmicam significationem planissimam reddunt; ita ut concentus in processu suo perspicui fiant, neque tamen notae in editione ad exemplum praebita ullimode commutentur. Atqui constat id earumdem editionum latissimae pervulgationi plurimum contulisse, et maximum gregorianae rei beneficium inde partum.

Hisce praemissis, en novissimum Sacr. Rit. Congregationis decretum:

« A nonnullis Editoribus proponitur subinde quaestio de modo interpretandi Dispositiones Art. II et IV Decreti seu Instructionum Sacrae Rituum Congregationis, die XI Augusti MCMV, circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum Gregorianum continentium. Ad hanc autem quaestionem solvendam eadem Sacra Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X, quae sequuntur declarat:

1. Forma notularum cantus sic debet integra servari, ut omnes ex eis quae eandem habent rationem vel significationem, ac proinde in editione typica Vaticana unam eandenque figuram referunt, pariter in alia editione, quae ab Ordinario possit approbari, necessario quoad formam omnino inter se similes exstent et coaequales. Ideoque signa quae forte fuerint, permittente Ordinario, superinducta, nullatenus notularum formam, vel modum quo ipsae coniunguntur, afficere debent.

2. Quamvis editio aliqua fuerit recognita, ab Ordinario vel ab ipsa Sacra Rituum Congregatione, tanquam de cetero, videlicet exceptis signis, cum typica conformis, oportet tamen ut deinceps normas supra statutas exacte servet; quatenus, inter notulas typicas et signa quae superveniunt, iam amplius confusio oriri nequeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Februarii 1906.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, S. R. C., *Pro-Praef.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.* ».

HELVETICAE VATICANAE COHORTIS IV. CENTENARIA SOLEMNITAS.

Hastatos milites variis coloribus distinctos qui Vaticanae aedis ad ostia advigilant omnes norunt. Nemo enim Pontificem Romanum quatuor iam a saeculis adivit unquam, qui eorumdem militum vestes et arma non sit admiratus. Ubicumque igitur patet Pontificis nomen et memoria, ibi et militum eius custodum corporis, natione Helvetica, nomen innotescit. Hi vero ut quarto iam saeculo custodiam agunt, ita arma sua antiqua et vestes hactenus non abiecerunt. Sed licet in ostio constituti igniballista, superaddito mucrone, vigilent, tamen quum, propria sua pompa, solemnioribus diebus Pontificem comitantur, loricas induunt galeasque, atque immanes gladios cuspidesque distringunt, quos iam, saeculo XVI, suis a montanis oppidis Romam venientes, gestabant.

Eorum historiam modo Dürer doctor repetit atque sedulo describit, quae ab aetate Iulii Pontificis II ad nostra usque tempora decurrit. Qui quum in maxima seditione temporum pontificale solium ascenderit, suam incolumitatem ut tueretur, Helvetios pretio conduxit, qui iam Xysto IV, eius patruo, adstiterant. Legato itaque Petro Herstenstein Iulius usus est, qui quum Pontificis desiderium coram Zurichensi coetu aperuisset, ratis conditionibus cohors delecta est peditum centum ac quinquaginta, cui centurio praefuit Gaspar a Silenenio, cuius pater, Morat in proelio, contra Carolum Burgundiorum ducem fortissime pugnaverat.

Die itaque mens. Ianuarii XXII Helvetici pedites, humanissime a Iulio Pontifice excepti, Romam ingressi sunt. Ex tunc vero foedera cum Helveticis nova semper Iulius ferit, quorum saepe praevalidis copiis Ecclesiae incolumitas servata est, idque maxime post pugnam, Ravennam ad urbem, a Francisco II rege Gallorum superatam, qua, ni Helveticae copiae obfuissent, Ecclesiae solium prope eversum est. Tunc itaque Helvetios Iulius nuncupavit *Defensores libertatis Ecclesiae*, atque eorum cohorte comitante anno MDX Mirandolam castrum ipse obequitans oppugnavit. Paulo post, Leone X Pontifice, contra Franciscum e Rubere, Urbinatum ducem, bellum agere oportuit. Tuncque Gaspar ille Silenenius, novas copias ex Helvetia coegit, sed ad bellum quum exiisset, Pontificia cohorte comitatus, apud Ariminum ab Ibericis peditibus in insidiis captus, ipse omnesque eius milites interempti sunt anno MDXVII.

Tunc Christophorus Silenenius, eius frater, cohorti praefuit, atque deinde Marcus Roüst, Zurichensis curio, miles fortissimus, quo duce anno MDXXI Helveticae copiae Parmam atque Placentiam urbes recuperarunt Pontifici reddentes. Marci autem filius Gaspar una cum ducentis et quinquaginta militibus corporis custodibus ante Basilicae Vaticanae ostium paulo post omnes cecidere, quum, Clemente VII Pontifice, Caroli V imperatoris copiae Urbem Romam coeperunt, vastarunt. Dum vero dux atque milites eius tantam cladem sustinent, Clemens Papa, manipulo vix Helvetiorum comitante, in castrum Adriani secessit.

Tantam post cladem, viginti per annos Helvetiorum arma Roma abfuere; sed anno MDXLVIII Paulus III cum Lucernensi republica iterum foedus inivit, suamque cohortem praetoriam restituit, cui dux Iustus a Meggen praefectus est, qui simul legationem suorum civium nomine apud Pontificem gessit; anno autem MDLVII, Iustus ille una cum suis militibus pugnae contra perduelles Colonnensis familiae copias atque contra Iberos milites eorum socios adfuit, quae tamen infelici fato confecta est.

Pio V Pontifice, Iusto a Segesser Helveticae cohortis duce, navalis pugna ad Naupactum contra Turcas pugnata est, cui et Romani Pontificis naves adfuere. Pugnae isti quoque Helvetiorum manipulus adfuit, quos Pontifex Marco Antonio Columnae ad custodiam corporis suis ex militibus tradiderat, qui fortissime in praelio pugnarunt, quorum unus, Henricus Rölli ex oppido Kriens, duo vexilla ab hostium manibus diripuit, quae hodie in Lucernensi museo pendent.

Saeculum vero XVII per quietem multam transactum, pariterque et XVIII; cuius iuxta occasum, nova mala ingruerunt. Anno enim MDCCXCVIII Gallicae seditiosae reipublicae milites Romam invaserunt atque Pium VI in captivitatem deduxere. Helvetici milites honesta tunc missione a Pontifice dimissi sunt, atque Pontifex Senam aufugit, comitante tamen Francisco Pfyffer, Helvetiorum cohortis tum duce. Pontifice autem Valentiam paulo post deducto ibique moerore vita functo, Pius VII Venetiis electus Carolo Pfyffer, Francisci filio, curam instaurandae cohortis commisit.

Inter omnes constat an. MDCCCIX Radet ducem apostolicas aedes in Quirinali monte pervasisse, atque Pontificem in Galliam captivum duxisse: reduce vero Romam Pontifice, Carolus Pfyffer iterum praefuit Helvetiorum tunc centuriae, quae tamen a Leone XII a. MDCCCXXIV in cohortem duplicata est.

filii, pollicem dexterum obtruncabant, ne deinde amplius gestare pilum possent; ac Lacedaemones mancipatos Ilotas per insidias turmatim enecabant.

Romani quoque res suas gestas crudelitate summa tum in captivos, tum in adversas civitates adumbrarunt. Scribit enim Polybius, Paulum Aemilium ut in Epyrotas ulcisceretur, septuaginta eorum urbes depopulatum esse, moenia diruisse, servorum centum et quinquaginta millia abduxisse. Alias autem narrat, Mummium consulem Corinthum captam militibus permisisse, virosque eius trucidasse, mulieres et pueros in captivitatem duxisse, reliqua igne comburenda tradidisse.

Galliam a Caesare captam haud commemoramus. Virorum turbae, quibus una erat culpa, patriam tueri ac penates, cruentam mandebant humum, quadringentae urbes solo aequabantur, mulieres puerique gladio occumbebant. Vercingetorix, patriae vindex, vinctus post currum consulis trahebatur.

Hisce faustiora, medium, quod dicimus, aevum haud habet. Gregorius Turonensis, qui primas Germanorum incursiones enarravit, incredibilem eorum describit immanitatem. Clotarius II, Francorum rex, indomitos Saxones quum vicisset, omnes trucidat captivos, qui gladio suo supereminerent. Carolus Magnus imperator, quatuor millia captivorum et amplius, quos Saxonico bello coeperat, hac re interfecit, quod libertatem suam nimis dilexerant.

Urbes quas crucis milites occupavere ipsae crimina viderunt. Quum enim Hierosolyma illi ingrederentur, anno MXCIX, quotquot obvios haberent enecasse dicuntur, ita ut quum ad templum Salomonis properarent, iam non pugnam gerere visi sint, sed cladem horrendam. Richardus ille a leonino animo dictus, Ascalona potitus, infideles omnes, ad duodecim millium numerum caedit.

Bella pariter Albigensium in Gallia, Hussitarum in Germania horridis cladibus insignia evasere; quamquam nihil quae hactenus innuimus prope sunt, si cum Tamerlani gestis comparemus. Qui, ut Ducas graecus historicus narrat, quum urbem relinqueret ut aliam aggrederetur, adeo eam depopulabatur et evertebat, ut nec eiulatus canis, nec avis cantus, nec pueri vox exaudiretur, ad mortis silentium omnibus redactis. Anno MCCCCI, quum Bagdad urbe esset potitus, vix templa, scholas, nosocomia servavit: doctores tantum atque iudices cladem effugerunt, quum barbarus rex decrevisset incolas omnes a puero ad senem esse obtruncandos. Quinimo quemque ex octoginta millibus militum suorum iussit, vitae sub poena suae, hostis ad se adferre caput; quae omnia trophaei ad instar in pyramidem congessit.

Nonne autem Philippus Augustus, Gallorum rex, Insularum captae urbis captivos omnes servitutis signo signavit? Nonne Ludovicus XII ille, qui pater populi est dictus, omnes qui Caravagium oppidum contra ipsum defenderant carnifici dedit?

Hisce criminibus gesta sunt bella ad nostros poene dies, quoadusque Genevensis pactio inter gentes Europae atque Americae signata est, coetusque coacti et foedera sancta, quibus et vulneratorum haberetur cura et certae leges servarentur, atque iura et *fines neutrorum* ut aiunt, defenderentur. Verumtamen ipsa bella quum magis mente quam manibus agantur, ut tormenta bellica et classes quaerunt, magis magisque animorum crudelitatem minuere, quod maxime arma novissima obtinuere, quibus a longe pugna geritur atque cominus paene nulla est.


Ipsae denique bellorum causae nobiliores sunt; non enim invidia regum aut desiderio dominandi fit bellum, sed aut de tuenda aut de recuperanda libertate plerumque res agitatur, aut de negotiis et commerciis diffundendis.

Postremo sodalitium, quod *Rubrae Crucis* insigni condecoratur, bellorum crudelitatem quam maxime mitigare noscitur, cuius legibus vulneratis remedium, morientibus solatium, mortuis autem sepulchrum et honores tribuuntur.

Hisce tamen non obstantibus, unum semper est omnium votum, unum desiderium, ut, sublatis discordiarum causis, genus omne humanum fraterno sub Crucis complexu perenni pace vivat.

DOMESTICA FUNERA.

Die IV elapsi mensis Februarii, Aristides Leonori, Commentarii nostri possessor atque administrator, gravissimo ictus est luctu: pater enim eius, nomine **Raphael**, naturae concessit.



Fuit vir magnae constantiae indefessique laboris; forti animo et quidem erecto. Quum enim ob rerum eversionem, quae in Urbe facta est an. MDCCCLXX, a publicis negotiis abstinuisset, liberorum institutioni, quos multos habuit, totum se dedit, eosque ad pietatem simul atque operosam vitam diligentissime educavit, ad senectam usque sui exemplum, optimum magistrum, praebens. Ita factum est ut, quum vitae finem praesentiret, ipse sacra religionis charismata expetierit, rebusque familiaribus opportune compositis, pie placideque dierum cursum expleverit, morientis viri iusti spectaculum renovans.

Sociorum atque lectorum sacrificiis piacularibus defuncti animam enixe commendamus.

VARIA LATINITAS

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Ne gusteris, quibus nigra est cauda.

Adagium hoc e Graeco deductum interpretatur Plutarchus in commentariis *De liberis instituendis:* « Ne commercium habeas cum improbis et iis, qui sunt nigris et probrosis moribus ». Tryphon vero grammaticus inter aenigmatis exempla hoc quoque commemorans, ita explicat: « Ne mendacem sermonem protuleris. Mendacium enim in extremis partibus nigrescit et obscuratur ». Quidam ad saepiam piscem referunt, qui atramento, quod in cauda gestit, semet occulit. Quamquam Plinius (lib. XXXII in fin.) Melanurum inter pisces recenset, quum de saepiis multa prioribus libris disseruerit, ut videatur non idem esse piscis Melanurus et Saepia.

Stateram ne transgrediaris.

Hoc est: « Ne quid facias praeter ius et aequum ». Stateram olim aequitatis symbolum habuisse vulgo, vel Doricum illud proverbium indicat: σταχάνης δικαιότερος, i. e. « trutina iustior ». Ad eum modum interpretatur Demetrius Byzantius apud Athenaeum, lib. *Dipnosophistarum* X.

Choenici ne insideas.

S. Hieronymus interpretatur: « De victu ne fueris sollicitus in diem crastinum ». Est enim choenice demensum et cibus diurnus, ut apud Homerum, (*Odyss.*, τ). Eodem pacto Laertius et Suidas exponunt. Porro servis olim cibus diurnus choenice distribuebatur, ut illi vicissim operis pensum persolverent; quam ob causam Apollo Pythius Corinthios χοινικομέτρας appellavit quod servos possiderent quadragies septies mille. Auctor Athenaeus, lib. VI. Plutarchus autem longe diversius putat non indulgendum ocio, sed industria prospiciendum victum, ne desit in posterum. Idem in *Symposiacis* huius symboli meminit, verbis, quae latine sonant: « Una cum Pythagorica choenice, in qua vetuit desidere, docens nos ut ex eo, quod praesens est, semper aliquid in futurum relinquamus et crastini diei in hodierno meminerimus ». Existimat autem idem maiores significare voluisse, quibus religiosum habitum est mensas inanes tollere. Demetrius Byzantius apud Athenaeum interpretatur non oportere spectare tantum quae praesentis diei sunt, quin crastinum semper esset spectandum, propemodum cum Plutarcho consentiens.

Ne cuivis dexteram inieceris.

Hoc est: « Ne temere quemlibet in familiaritatem admittas, sed deligas quem diligas ». Idem citatur atque exponitur a Plutarcho ἐν τῷ περὶ τῆς πολυφιλίας. Convenit cum illo Solonis apophthegmate, quod ex Apollodoro refert Diogenes Laertius: « Amicos ne cito pares; quos autem paraveris ne reiicias ».

Cor ne edito.

Hoc est: « Ne curis tuum ipsius animum excrucies ». (Dem. Byzant. ap. Athenaeum), aut: « Ne sollicitudinibus vitam reddas breviorem ».



Pontificiae Helveticae cohortis miles an. M DCCC XXXV.

Leo XIII, pluries magnificeque exposuit, quanta deberet esse, secundum christianae principia sapientiae, alterius societatis convenientia cum altera: inter quas « quaedam, ait, intercedat necesse est ordinata colli» gatio, quae quidem coniunctioni non immerito com» paratur, per quam anima et corpus in homine co» pulantur ». Addit autem: « Civitates non possunt, » citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino » non esset, aut curam religionis velut alienam nihil» que profuturam abiicere... Ecclesiam vero, quam » Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a » legibus, ab institutione adolescentium, a societate » domestica, magnus et perniciosus est error » (1).

Iamvero, si contra omne ius fasque agat quaevis christiana civitas, quae Ecclesiam ab se segreget ac removeat, quam non est probandum, egisse hoc ipsum Galliam, quod sibi minime omnium licuit! Galliam dicimus, quam longo saeculorum spatio haec Apostolica Sedes praecipuo quodam ac singulari semper amore dilexerit; Galliam, cuius fortuna omnis et amplitudo nominis et gloriae religioni humanitatique christianae cognata semper fuerit! Apte idem Pontifex: « Illud Gallia meminerit, quae sibi cum Apo» stolica Sede sit, Dei providentis numine, coniunctio, » actiorem esse vetustioremque, quam ut unquam » audeat dissolvere. Inde enim verissimae quaeque » laudes, atque honestissima decora profecta... Hanc » velle turbari necessitudinem idem foret sane, ac » velle de auctoritate gratiaque nationis Gallicae in » populis non parum detrahi » (2).

Accedit autem quod haec ipsa summae necessitudinis vincula eo sanctiora iubebat esse sollemnis pactorum fides. Nempe Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio; cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure, ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est, iure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset. Apostolicam autem Sedem summa semper fide conditionibus stetisse, omnique tempore postulasse, ut fide pari staret eisdem civitas, nemo prudens suique iudicii homo negaverit. Ecce autem Respublica pactionem adeo sollemnem et legitimam suo tantum arbitrio rescindit; violandaque religione pactorum, nihil quidquam pensi habet, dum sese ab Ecclesiae complexu amicitiaque expediat, et insignem Apostolicae Sedi iniuriam imponere, et ius gentium frangere, et ipsam commovere graviter disciplinam socialem et politicam; siquidem nihil tam interest humani convictus et societatis ad secure explicandas rationes populorum mutuas, quam ut pacta publica sancte inviolateque serventur.

Ad magnitudinem autem iniuriae, quam Apostolica Sedes accepit, accessionem non mediocrem factam esse liquet, si modus inspiciatur, quo modo Respublica pactum resolvit. Est hoc ratum similiter iure gentium atque in moribus positum institutisque civilibus, ut non ante liceat conventa inter civitates solvi, quam civitas altera, quae hoc velit, alteri se id velle clare aperteque ipsi legitime denuntiarit. Iamvero hic voluntatis huiusmodi apud Apostolicam ipsam Sedem legitima, non modo denuntiatio, sed ne ulla quidem significatio intercessit. Ita non dubitarunt gubernatores Galliae adversus Apostolicam Sedem communia urbanitatis officia deserere, quae vel minimae cuique minimique momenti civitati praestari solent; neque iidem veriti sunt, quum nationis catholicae personam gererent, Pontificis, summi Ecclesiae catholicae Capitis, dignitatem potestatemque contemnere; quae quidem potestas eo maiorem ab iis verecundiam, quam civilis ulla potestas postulabat, quod aeterna animarum bona spectat, neque ullis locorum finibus circumscribitur.

Sed iam ipsam in se legem considerantibus, quae modo promulgata est, novae Nobis multoque gravioris querelae nascitur causa. Principio Respublica quum revulsis pactionis vinculis ab Ecclesia discederet, consequens omnino erat, ut eam quoque missam faceret et concessa iure communi frui libertate sineret. At nihil minus factum est: nam plura hic videmus esse constituta, quae, odiosum privilegium Ecclesiae irrogando, eam civili imperio subesse cogant. Nos vero cum graviter molesteque ferimus, quod hisce sanctionibus civilis potestas in eas res invasit, quarum iudicium et arbitrium unius est sacrae potestatis; tum etiam eoque magis dolemus, quod eadem, aequitatis iustitiaeque oblita, Ecclesiam Gallicam in conditionem ac fortunam coniecit duram incommodamque maxime, atque eam sacrosanctis ipsius iuribus adversissimam.

Nam primum huius decreta legis constitutionem ipsam offendunt, qua Christus Ecclesiam conformavit. Scriptura enim eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam mysticum esse Christi corpus *pastorum* et *doctorum* auctoritate administratum (1), id est societatem hominum, in qua aliqui praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, iudicandi potestate (2). Est igitur haec societas, vi et natura sua, *inaequalis*; duplicem scilicet complectitur personarum ordinem, pastores et gregem, id est eos, qui in variis hierarchiae gradibus collocati sunt et multitudinem fidelium: atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola hierarchia ius atque auctoritas resideat movendi ac dirigendi consociatos ad propositum societati finem; multitudinis autem officium sit, gubernari se pati, et rectorum sequi ductum obedienter. Praeclare Cyprianus Martyr: « Dominus noster, » cuius praecepta metuere et servare debemus, Epi» scopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens, » in Evangelio loquitur, et dicit Petro: *Ego dico tibi,* » *quia tu es Petrus*, etc. Inde per temporum et suc» cessionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiae » ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos consti» tuatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem prae» positos gubernetur »; idque ait « divina lege fun» datum » (1). Contra ea, legis huius praescripto, administratio tuitioque cultus publici non hierarchiae divinitus constitutae relinquitur, sed certae cuidam defertur consociationi civium: cui quidem forma ratioque imponitur personae legitimae, quaeque in universo religiosi cultus genere sola habetur civilibus uti instructa iuribus, ita obligationibus obstricta. Igitur ad consociationem huiusmodi templorum aedificiorumque sacrorum usus, rerum ecclesiasticarum tum moventium tum solidarum possessio respiciet; ipsi de Episcoporum, de Curionum, de Seminariorum aedibus liberum, licet ad tempus, permittetur arbitrium; ipsius erit administrare bona, corrogare stipes, pecuniam et legata percipere, sacrorum causâ. De hierarchia vero silentium est. Statuitur quidem, istas consociationes ita conflandas esse, quemadmodum cultus religiosi, cuius exercendi gratiâ instituuntur, propria disciplina ratioque vult; verumtamen cavetur, ut si qua forte de ipsarum rebus controversia inciderit, eam dumtaxat apud *Consilium Status* diiudicari oporteat. Perspicuum est igitur ipsas consociationes adeo civili potestati obnoxias esse, nihil ut in eis ecclesiasticae auctoritati loci relinquatur. Quantopere haec omnia sint Ecclesiae aliena dignitati, contraria iuribus et constitutioni divinae, nemo non videt: eo magis, quod non certis definitisque formulis, verum tam vagis tamque late patentibus perscripta lex est in hoc capite, ut iure sint ex eius interpretatione peiora metuenda.

Praeterea nihil hac ipsa lege inimicius libertati Ecclesiae. — Etenim, si prohibentur sacri magistratus, ob interiectas consociationes quas diximus, plenam muneris sui exercere potestatem; si in easdem consociationes summa vindicatur *Consilio Status* auctoritas, eaeque parere alienissimis a iure communi statutis iubentur, ita ut difficile coalescere, difficilius queant consistere; si data divini cultus exercendi copia, multiplici exceptione minuitur; erepta Ecclesiae studio vigilantiaeque, custodia templorum Reipublicae attribuitur; ipsum coercetur Ecclesiae munus de fide ac morum sanctitate concionandi, et severiores irrogantur clericis poenae; si haec et talia sanciuntur,


(1) Epist. Enc. *Immortale Dei* data die I mens Novembr. an. MDCCCLXXXV.

(2) In allocutione ad peregrinos Gallos hab. die XIII mens. Apr. an. MDCCCLXXXVIII.

(1) Ephes. IV, 11 seqq.

(2) Matth. XXVIII, 18, 20; XVI, 18, 19; XVIII, 17; Tit. II, 15; II, Cor. X, 6; XIII, 10, et alibi.

(1) S Cypr. Epist. XXXIII (al. XXVII, ad lapsos), n. I.



Pontificiae Helveticae cohortis milites an. D MCCCC VI.



Milites ex Helvetica cohorte excubias ad Vaticanas aedes agentes.

Viginti post annis et amplius, Pio IX Pontifice et Helvetiis Xaverio Meyer de Schauensee praefecto, Romana seditio orta est anno MDCCCXLVIII. Popularium furor ipso in Quirinali foro ante ostium Pontificis deferbuit, atque Helvetici milites duo vulnerati sunt, qui excubias illic agebant: Iacobus Marmatt atque Ioannes Marfurt, quorum postremus adhuc florida senectute vivit, omnium Helveticae cohortis militum maxime senex.

Paulo post Helvetios dimittere coactus est Pontifex ab Urbe profugus. Gallicis vero armis Romana republica superata, atque Pontificio regno restituto, Pius PP. IX Xaverium Mayer voluit iterum suis Helveticis militibus praeesse.

Ex eo tempore nec bellicis eventibus nec seditionibus ullis Helvetici milites occurrerunt; sed custodiam aedium Vaticanarum egerunt semper, prout etiam hodie agunt. Qui autem nunc praeest cohorti, Leopuldus Meyer dynasta, uxorem duxit, cuius mater e gente *della Rovere* orta est, unde et Iulius ipse II, qui primus Helvetios Romam vocavit. Eo igitur duce feriae habitae sunt centenariae maximae. Pius X Pontifex suis coram militibus Sacrum celebravit ac memori numismate argenteo omnes donavit. Moenibus denique cuniculi veteris, quod a Vaticano in Adrianam arcem ducebat, ubi castra Helvetica iamdiu atque semper fuere, titulus marmoreus est appositus, ubi haec leguntur:

XI . KALENDAS . FEBR . MDVI
IULIO . II . PONTIFICE . MAXIMO
COHORS . HELVETIORUM . N . CL
V . N . GASPAR . DE . SILENEN . PRAEF.
IN . PONTIFICUM . ROMANORUM . TUTELAM
ET . SACRAE . DOMUS . PONT . SECURITATEM
VOCATA
STATIONEM . HANC . PRIMUM . OCCUPAVIT

XI . KALENDAS . FEBR . MCMVI
PIO . X . PONTIFICATUM . SUMMUM . GERENTE
LEOPOLDUS . MEYER . DE . SCHAUENSEE
PRAEFECTUS . NUMERI . HELVETICI
ET . COHORS . PRAESIDIARIORUM . UNIVERSA
STATIONEM . EAMDEM
QUARTO . A . DEDICATIONE . SAECULO
MEMORI . TITULO
EXORNARUNT

ACTA PONTIFICIA

I.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE X

EPISTOLA ENCYCLICA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS
VNIVERSUMQUE CLERVM ET POPVLVM GALLIAE

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
FRANCISCO MARIAE
S. R. E. PRESB. CARD. RICHARD
ARCHIEPISCOPO PARISIENSI
VICTORI LVCIANO S. R. E. PRESB. CARD. LECOT
ARCHIEPISCOPO BVRDIGALENSI
PETRO HECTORI S. R. E. PRESB. CARD. COVLLIÉ
ARCHIEPISCOPO LVGDUNENSI
IOSEPHO GVILELMO S. R. E. PRESB. CARD. LABOVRÉ
ARCHIEPISCOPO RHEDONENSI
CETERISQUE VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
ATQVE VNIVERSO CLERO ET POPVLO GALLIAE


PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Vehementer Nos esse sollicitos et praecipuo quodam dolore angi, rerum vestrarum causâ, vix attinet dicere; quando ea perlata lex est, quae quum pervetustam civitatis vestrae cum Apostolica Sede necessitudinem violenter dirimit, tum vero indignam miserrimamque Ecclesiae in Gallia conditionem importat. Gravissimum sane facinus, idemque, ob ea quae civili societati allaturum est aeque ac religioni detrimenta, omnibus bonis deplorandum. Quod tamen nemini arbitramur inopinatum accidisse, qui quidem postremis temporibus, quemadmodum sese adversus Ecclesiam rei publicae moderatores gererent, attenderit. Vobis certe nec subitum accidit nec novum, Venerabiles Fratres, quibus ipsis testibus, christiana instituta plagas tam multas tamque magnas, alias ex aliis, accepere publice. Vidistis violatam legibus christiani sanctitudinem ac stabilitatem coniugii, dimotam de scholis, de valetudinariis publicis religionem; abstractos a sacra studiorum et virtutum disciplina clericos et sub arma compulsos; disiectas spoliatasque bonis religiosas Familias, earumque sodales ad inopiam plerumque redactos rerum omnium. Illa etiam decreta nostis: ut aboleretur consuetudo vetus vel auspicandi, propitiato Deo, legumlatorum ac iudicum coetus, vel ob memoriam mortis Christi lugubria induendi navibus; ut sacramentis in iure dicendis forma speciesque abrogaretur religiosae rei; ut in iudiciis, in gymnasiis, in terrestribus maritimisque copiis, in rebus denique omnibus ditionis publicae, ne quid esset aut fieret, quod significationem aliquam christianae professionis daret. Iamvero ista quidem et id genus cetera, quum ab Ecclesia sensim rem publicam seiungerent, nihil fuisse aliud apparet, nisi gradus quosdam consulto iactos ad plenum discidium lege propria inducendum: id quod ipsi harum rerum auctores profiteri plus semel et prae se ferre non dubitarunt. — Huic tanto malo ut occurreret Apostolica Sedes, quanto in se habuit facultatis, totum eo contulit. Nam ex una parte admonere atque hortari gubernatores Galliae non destitit, etiam atque etiam considerarent, hunc quem instituissent discessionis cursum, quanta esset incommodorum consecutura moles; ex altera autem suae in Galliam indulgentiae benevolentiaeque singularis illustria duplicavit documenta; non absurde confisa, se ita posse, qui praeerant, tamquam iniecto officii gratiaeque vinculo, retinere in declivi, atque ab incoeptis demum abducere. — At huiusmodi studia, officia, conata et Decessoris et Nostra recidisse ad nihilum omnia cernimus; siquidem inimica religioni vis, quod contra iura catholicae gentis vestrae ac vota recte sentientium diu contenderat expugnavit. Hoc igitur tam gravi Ecclesiae tempore, ut conscientia Nos officii sanctissimi iubet, Apostolicam vocem tollimus, et mentem animumque Nostrum vobis, Venerabiles Fratres, et dilecti Filii, patefacimus: quos quidem universos omnes semper consuevimus peculiari quadam caritate prosequi, nunc vero, uti par est, eo vel amantius complectimur.

Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. — Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert iniuriam Deo: qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; propterea que non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. — Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam reipublicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. — Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe existant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. — Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest.

Itaque Romani Pontifices huiusmodi refellere atque improbare opiniones, quae ad dissociandam ab Ecclesia rempublicam pertinerent, quoties res tempusque tulit, non destiterunt. Nominatim Decessor illustris,



Pontificiae Helveticae cohortis milites saec. XVIII.

regimen, Christi vice, tenemus. At memores tamen eiusdem Christi patientiae, certisque illius promissis tuti, adversa quaeque miti animo tolerare nitimur, ut sicut ille ambulavit et Nos ambulemus in spe gloriae filiorum Dei. - Sed enim, tam grave atque vehemens Ecclesiae ac Nobis impositum nuperrime est vulnus, ut illud nequeamus silentio premere, nec, si velimus, nisi neglecto officio, liceret. Praecipitis plane, Venerabiles Fratres, de ea lege velle Nos loqui, iniuriae plena atque in perniciem catholici nominis excogitata, quae paullo ante de seiungenda civitate ab Ecclesia in Galliis sancita est. Equidem in encyclicis litteris, quas paucis ante diebus ad Galliarum Episcopos, Clerum ac populum dedimus, fusius iam ostendimus, quam ea invidiosa sit, ac Dei atque Ecclesiae infesta iuribus. Sed ne muneris apostolici quotamcumque praeterivisse partem videamur, propositum est ea quae ediximus, in amplissimo conspectu vestro strictim persequi, graviterque confirmare.

Enimvero qui eam non reprobare legem possimus, quam ipsa, quam praefert, inscriptio malitiae convincit ac damnat? Agitur, Venerabiles Fratres, de civitatis ab Ecclesia invehendo discidio. Lex igitur tota quanta est in aeterni summique Dei contemptu nititur, quum nullum deberi Illi a civitate honorem pietatis contendat. Atqui non singularium modo hominum dominus ac dominator, sed gentium etiam ac civitatum Deus est: quem proinde agnoscere, vereri, colere ipsas nationes, quique illis praesunt, oportet publice. - Quae si quidem oblivio ac discessio iniuriose adversus divini Numinis maiestatem ubique fieret; in Galliis vero ingrate magis longeque perniciosius. Nam si veteres Gallorum laudes pro veritate quis aestimet, eas partem longe maximam ex religione profluxisse fatebitur atque ex perpetua, quae inde oriebatur, cum Sede hac Apostolica necessitudine.

Accedit, civitatis cum Ecclesia coniunctionem solemni in Galliis pactorum fide fuisse firmatam. At vero, quod nulli civitatum fere usuvenit, tametsi dignitatis perexiguae, id factum est cum Apostolica Sede, cuius tanta est in orbe auctoritas et amplitudo. Etenim pactio illa, solemnis adeo ac legitima, nullo servato urbanitatis officio, nullâ, quod tamen iure gentium cavetur atque in civilibus institutis est positum, nullâ, inquimus, solvendae conventionis significatione, unius tantum partis arbitrio, violata fidei religione, rescissa est.

Nunc autem si porro legis ipsius decreta spectamus, ecquis non videt eius rogatione constitutionem ipsam labefactari, qua Christus acquisitam sanguine Ecclesiam confirmavit? Nimirum nulla in ea Romani Pontificis, nulla Episcoporum incidit mentio: e contra administratio tota publicique cultus tuitio civium consociationibus defertur, quas unas in universo religioso genere Respublica civilibus instructas iuribus agnoscit. Quod si inter ipsas controversiam contigerit oriri, illa non Episcoporum iudicio, non Nostro, sed ab uno *Status Consilio* cognoscenda est ac dirimenda.

Quid insuper, hac lege lata, de libertate Ecclesiae censendum sit, Venerabiles Fratres, in memoratis encyclicis litteris uberius exposuimus. Heic autem ut pressius dicamus: prohibentur, ex parte altera, Antistites sacrorum christianum populum pro plena muneris potestate regere; ex altera, christiano populo profitendae libere, uti debet, religionis suae sanctissimum ius adimitur: actio vero Ecclesiae in hominum consociationem multiplici ex capite debilitatur aut omnino intercipitur.

Quae profecto violatio iurium ac libertatis diminutio postremam inde accessionem habet non levem quod, uno legis imperio, frustra reclamante iustitia, frustra obsistente pactorum fide, Ecclesia de patrimonii sui legitima possessione deturbatur. Respublica vero omni solvitur officio annuos suppeditandi religionis sumptus, quos pacto convento, ad sarciendam publicae direptionis iniuriam, suppeditandos susceperat.

His igitur vobiscum pro gravitate rei communicatis, apostolici memores officii, quo sanctissima Ecclesiae iura tutari omni ope ac propugnare tenemur, sententiam Nostram de lege hac, in amplissimo etiam coetu vestro, solemniter proferimus. Eam videlicet, suprema auctoritate qua Christi vice fungimur, uti Deo optimo maximo iniuriosam, divinae constitutioni Ecclesiae infestam, schismati faventem, Nostrae ac legitimorum pastorum auctoritati aversam, bonorum Ecclesiae direptricem, iuri gentium oppositam, Nobis et Apostolicae Sedi invidiosam, Episcopis, clero et catholicis Galliarum universis infensissimam, damnamus et reprobamus; simulque edicimus et declaramus, eamdem legem nunquam nulloque in eventu adversus perpetua Ecclesiae iura esse valituram.

Nunc vero ad catholicam Gallorum gentem patet cor Nostrum: cum afflicta affligimur, cum flente flemus. Nullus esto, qui, quod tam acerbe simus habiti, caritatem Nostram erga illos deferbuisse putet. Religiosorum familias, suis extorres aedibus et patriâ, sollicite cogitamus: adolescentium agmina, christianam institutionem desiderantia, paterna trepidatione prosequimur: Episcopos fratres Nostros et clerum omnem in tribulatione positos et graviora metuentes, in oculis ferimus: fideles ea lege oppressos diligimus: universos denique paterno amantissimoque corde complectimur. Praeclara, per aetates omnes, Galliarum in Religionem sanctissimam merita nullorum audacia ac nequitia obliterabit unquam: spes autem est, mitescente tempore praeclariora fore. - Interea filios dilectissimos vehementissime hortamur ne, per asperitates et angustias rerum, fracto demissove sint animo. Vigilent, stent in fide, viriliter agant, maiorum sententiae memores: *Christus amat Francos.* Aderit illis semper Apostolica haec Sedes, quae primigenam Ecclesiae filiam providentiam caritatemque suam desiderare nunquam permittet.

DIARIUM VATICANUM.

(Die XXI mens. Ian. — d. XX mens. Febr. MDCCCCVI).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui cuiusque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Wladimirus Czetwertynski, Princeps, eiusque uxor; Radziwill, Princeps foemina; Franciscus Malvezzi Campeggi, Marchio; Philippus Pacelli, eques torquatus, advocatorum S. Consistorii decanus; Henricus Pietromarchi, Comes; Orsini, Princeps Urbana foemina, eiusque familia; Dux e Sancta Severina, eiusque uxor; Rodulphus Coronini Cronberg, Comes, Austrorum legationis apud Apostolicam Sedem consiliarius.

Pontificiae electiones.

— Carolus Santucci, Comes, ac reverendissimi viri Achilles Martini et Angelus Mariani in collegium advocatorum S. Consistorii cooptantur.

— Excellentissimus vir Gaspar Bova, episcopus Samarien., in auxilium Panormitani archiepiscopi deputatur.

— Albertus Pillet, Chamberien. doctor, inter antistites dom. Pont. refertur.

Vita functi viri clariores.

— Die XXV mens. Ianuarii Purpuratus Pater **Petrus Lambertus Goossens,** archiepiscopus Mechlinien. in Belgica, Perk in oppido natus die XVIII mens. Iul. a. MDCCCXXVII, episc. Abderitan. electus d. I mens. Iunii a. MDCCCLXXXIII, insequenti anno ad sedem Mechlinien. promotus, in sacrum Senatum cooptatus tit. S. Crucis in Hierusalem d. XXIV mens. Maii a. MDCCCLXXXIX; vir pietate, prudentia atque navitate insignis.

— Die XI mens. Februarii Purpuratus Pater **Adulfus Lodovicus Albertus Perraud** episcopus Augustodunen. ex Congregatione Oratorii Parisiensis, Lugduni natus d. VII mens. Februarii a. MDCCCXXVIII, episcopus electus d. IV mens. Maii a. MDCCCLXXIV, cardinalis creatus *in pectore* d. XVI mens. Ianuarii a. MDCCCXCIII ac publici iuris factus in consistorio d. XXIX mens. Novembr. a. MDCCCXCV tit. S. Petri ad Vincula; sapientia item ac religionis christianae studio praeclarus.

— Die XVI mens. Februarii Purpuratus Pater **Achilles Manara,** episcopus Anconitan. et Human., Bononiae natus d. XX mens. Novembr. a. MDCCCXXIX, episcopus creatus d. XII mens. Maii a. MDCCCLXXIX, cardinalis renunciatus d. XXIX mens. Novembris a. MDCCCXCV tit. S. Pancratii, miti ac pio animo praestantissimus.

— Eadem die **Antonius de Cetto** dynasta, Bavariae Legatus extraordinarius atque administer plena cum potestate apud Apostolicam Sedem iam inde ab a. MDCCCLXXXIII.

Varia.

— Die XXI mens. Ianuarii in Consistorii aula SS. D. N. Pius PP. X sacra litat adstantibus Helveticae cohortis militibus, centenaria IV solemnia ab eiusdem cohortis institutione peragentibus, atque insequenti die singulos milites argenteo numismate donat.

— d. XXX coram Sanctissimo in Vaticanis aedibus Sacr. Rit. Congregatio habetur ad disceptandum de virtutibus « in gradu heroico » V. S. D. Annae Mariae Taigi, viduae ac tertiariae professae Ord. Sanctissimae Trinitatis pro redemptione captivorum; praeterea circa dubium an tuto procedi possit ad sollemnem beatificationem V. S. D. Iuliae Billiart, fundatricis Congregationis sororum a Maria Virgine.

ANNALES.

Algeciranus coetus.

Gravissimum novissimi temporis metum contulit coetus ille Algeciranus, qui XVI mens. Ianuarii die convenit, ut Mauritanae res ab Europae nationibus componerentur.

Primum de armorum commercio prohibendo unanimi concordia legati censuerunt; de vectigalibus innovandis rogatio deinde oblata est atque sine dissensu examinata; sed quum de munere atque iure ad advigilandum Mauritaniae regnum res fuit, discordia Germanos inter et Gallos brevi patuit. Galli enim sibi tantum atque finitimis Iberis ius illud advocant; Germani contra sibi quoque aliisque gentibus aliquid esse in re asserunt atque volunt. Dilata itaque diu disceptatio est, quae praecipue inter Germanos Gallosque magistratus Berolini et Lutetiae nunc agitatur.

Russica seditio.

In Russia anniversaria iam dies rediit, ex quo primum seditio Petropoli per vias flagravit. De Wladivostochensi nova seditione gravia, sed parum certa tradita sunt; paulatim tamen pax rediit, sensimque publicus ordo redintegratur. Neque enim cito pede tot malis subveniri poterit quotquot iamdiu Russorum per fines exarserunt, infaustum illud post bellum, quo tantum pecuniae et hominum detrimentum partum est. Iam vero decretum patuit ad cogendos coetus suffragatorum, qui populi oratores eligent, atque militum custodia sublata est, cuius tantum sub tutela huc usque coetus illi habebantur.

Serborum Austrorumque discordiae.

Serbos inter et Austros ea novissime oborta est discordia, qua utriusque gentis concors hactenus commerciorum ratio disiecta est. Austri enim non tam de pecunia decertabant, quam potius de sua apud Serbos auctoritate. Illi contra, Austrorum amicitiam respuentes, sua ab iis commercia prohibuerunt. Sed livor atque dissensio

in quibus multum etiam libido interpretandi possit, quid hic aliud agitur, quam ut Ecclesia in humili abiectaque conditione locetur, et pacificorum civium, quae quidem est pars Galliae multo maxima, per speciem conservandi publici ordinis, sanctissimum ius violetur profitendae, uti velint, religionis suae? Quamquam Civitas non comprimendâ solum divini cultus professione, qua totam vim rationemque definit religionis, Ecclesiam vulnerat; sed eius etiam vel virtuti beneficae intercludendo aditus ad populum, vel actionem multipliciter debilitando. Igitur satis non habuit, praeter cetera, Ordines submovisse religiosorum, unde in sacri ministerii perfunctione, in institutione atque eruditione adolescentis aetatis, in christianae procuratione beneficentiae praeclara adiumenta suppetebant Ecclesiae: nam humanis eam opibus, id est necessario quodam ad vitam et ad munus subsidio, intervertit.

Sane, ad ea quae conquesti sumus damna et iniurias, hoc accedit, ut ista de discidio lex ius Ecclesiae sua sibi habendi bona violet atque imminuat. Etenim de patrimonii, magnam partem, possessione, probatissimis quibusque titulis quaesiti, Ecclesiam, alte iustitia reclamante, deturbat; quidquid rite constitutum sit, addicta pecuniâ in divinum cultum aut in stata defunctorum solatia, tollit atque irritum iubet esse; quas facultates catholicorum liberalitas christianis utique scholis aut variis christianae beneficentiae institutis sustinendis destinaret, eas ad instituta laicorum transfert, ubi plerumque aliquod catholicae religionis vestigium frustra quaeras: in quo quidem patet, una cum Ecclesiae iuribus, testamenta voluntatesque apertas auctorum everti. Quod vero per summam iniuriam edicit, quibus aedificiis Ecclesia ante pactum conventum utebatur, ea posthac civitatis aut provinciarum aut municipiorum fore, singulari Nobis est sollicitudini. Nam si consociationibus divino cultui exercendo usus templorum, ut videmus, gratuitus nec definitus conceditur, concessum tamen huiusmodi tot tantisque exceptionibus extenuatur, ut reapse templorum arbitrium omne civiles magistratus obtineant. Vehementer praeterea timemus sanctitati templorum: neque enim cernimus abesse periculum, ne augusta divinae maiestatis domicilia, eademque carissima memoriae religionique Gallorum loca, profanas in manus quum deciderint, profanis ritibus polluantur. In eo autem, quod Rempublicam lex officio solvit suppeditandi annuos sacrorum sumptus, simul fidem sollemni pacto obligatam, simul iustitiam laedit gravissime. Etenim nullam dubitationem hoc habet, quod ipsa rei gestae testantur monumenta, Rempublicam Gallicam, quum pacto convento sibi suscepit onus praebendi Clero unde vitam decenter ipse agere, ac publicam religionis dignitatem curare posset, non id fecisse comitatis benignitatisque gratiâ; verum ut eam, quam proximo tempore Ecclesia passa esset publice direptionem bonorum, saltem ex parte aliqua sarciret. Similiter eodem convento, quum Pontifex, concordiae studens, recepit, se successoresque suos nullam molestiam exhibituros iis, ad quos direpta Ecclesiae bona pervenissent, sub ea conditione constat recepisse, ut per ipsam Rempublicam perpetuo esset honestae et Cleri et divini cultus tuitioni consultum.

Postremo, ne illud quidem silebimus, hanc legem, praeterquam Ecclesiae rebus, vestrae etiam civitati non exiguo futuram damno. Neque enim potest esse dubium quin multum habitura sit facultatis ad eam labefactandam coniunctionem et conspirationem animorum, quae si desit, nulla stare aut vigere queat civitas; et quam, his maxime Europae temporibus, quisquis est in Gallia vir bonus vereque amans patriae, salvam et incolumem velle debet. Nos quidem, exemplo Decessoris, a quo deploratissimae erga nationem vestram caritatis eximiae cepimus hereditatem, quum avitae religionis tueri apud vos integritatem iurium niteremur, hoc simul spectavimus semper et contendimus, communem omnium vestrum pacem concordiamque, cuius nullum vinculum arctius quam religio, confirmare. Quapropter intelligere sine magno angore non possumus, eam auctoritate publica patratam esse rem, quae, concitatis iam populi studiis funestarum de rebus religiosis contentionum faces adiiciendo, perturbare funditus civitatem posse videatur.

Itaque, Apostolici Nostri officii memores, quo sacrosancta Ecclesiae iura a quavis impugnatione defendere ac servare integra debemus, Nos pro suprema, quam obtinemus divinitus, auctoritate, sancitam legem, quae Rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus ac damnamus; idque ob eas quas exposuimus causas: quod maxima afficit iniuriâ Deum, quem sollemniter eiurat, principio declarans Rempublicam cuiusvis religiosi cultus expertem; quod naturae ius gentiumque violat et publicam pactorum fidem; quod constitutioni divinae et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiae; quod iustitiam evertit, ius opprimendo dominii, multiplici titulo ipsaque conventione legitime quaesitum; quod graviter Apostolicae Sedis dignitatem ac personam Nostram, Episcoporum Ordinem, Clerum et Catholicos Gallos offendit. Propterea de rogatione, latione, promulgatione eiusdem legis vehementissime expostulamus; in eaque testamur nihil quidquam inesse momenti ad infirmanda Ecclesiae iura, nullâ hominum vi ausuque mutabilia.

Haec ad istius detestationem facti vobis, Venerabiles Fratres, Gallicano populo, atque adeo christiani nominis universitati edicere habuimus. — Equidem molestissime, ut diximus, afficimur, mala prospicientes quae ab hac lege dilectae nationi impendent, maximeque commovemur miseriis, aerumnis, laboribus omne genus, in quibus fore vos, Venerabiles Fratres, Clerumque vestrum cernimus. Attamen, ne his tantis curis affligi Nos frangique patiamur, prohibet divinae benignitatis providentiaeque cogitatio, atque exploratissima spes, nunquam fore ut Ecclesiam IESUS CHRISTUS ope praesentiaque sua destituat. Itaque longe id abest a Nobis, ut quidquam formidemus, Ecclesiae causâ. Divina est virtutis eius stabilitas atque constantia, eaque satis, opinamur, tot saeculorum experimento cognita. Nemo enim unus ignorat, asperitates rerum hac temporis diuturnitate in eam incubuisse et plurimas et maximas; atque, ubi virtutem non humanâ maiorem deficere necesse fuisset, Ecclesiam inde validiorem semper auctioremque emersisse. Ac de legibus in perniciem Ecclesiae conditis, hoc ferme usuvenire, historia teste, scimus, ut quas invidia conflaverit, eas postea, utpote noxias in primis civitati, prudentia resolvat: idque ipsum in Gallia haud ita veteri memoria constat contigisse. Quod insigne maiorum exemplum utinam sequi inducant animum, qui rerum potiuntur: matureque religionem, effectricem humanitatis, fautricem prosperitatis publicae, in possessionem dignitatis libertatisque suae, omnibus plaudentibus bonis, restituant.

Interea tamen, dum opprimendi, exagitandi libido dominabitur, filii Ecclesiae, si unquam alias, oportet, *induti arma lucis* (1), pro veritate ac iustitia, omni qua possunt ope nitantur. In quo vos, magistri auctoresque ceterorum, profecto, Venerabiles Fratres, omnem eam studii alacritatem, vigilantiam, constantiamque praestabitis, quae Galliae Episcoporum vetus ac spectatissima laus est. Sed hoc potissime studere vos volumus, quod maxime rem continet, ut omnium vestrum in tutandis Ecclesiae rationibus summa sit sententiarum consiliorumque consensio. Nobis quidem certum deliberatumque est, qua norma dirigendam esse in his rerum difficultatibus operam vestram arbitremur, opportune vobis praescribere; nec dubitandum, quin praescripta vos Nostra diligentissime executuri sitis. Pergite porro, ut instituistis, atque eo etiam impensius, roborare pietatem communem; praeceptionem doctrinae christianae promovere vulgatioremque facere; errorum fallacias, corruptelarum illecebras, tam late hodie fusas, a vestro cuiusque grege defendere; eidem ad docendum, monendum, hortandum, solandum adesse, omnia denique pastoralis caritatis officia conferre. — Nec vero elaborantibus vobis non se adiutorem strenuissimum praebebit Clerus vester; quem quidem, viris affluentem pietate, eruditione, obsequio in Apostolicam Sedem eximiis, promptum paratumque esse novimus, se totum vobis pro Ecclesia sempiternaque animorum salute dedere. Certe autem, qui sunt huius Ordinis, in hac tempestate sentient sic se animatos esse oportere, quemadmodum fuisse Apostolos accepimus, *gaudentes..., quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* (1). Itaque iura libertatemque Ecclesiae fortiter vindicabunt, omni tamen adversus quempiam asperitate remota: quin imo, caritatis memores, ut Christi ministros in primis addecet, aequitate iniuriam, lenitate contumaciam, beneficiis maleficia pensabunt.

(1) Rom. XIII, 12.

Iam vos compellamus, catholici quotquot estis in Gallia; vobisque vox Nostra tum testimonio effusissimae benevolentiae, qua gentem vestram diligere non desinimus, tum in calamitosissimis rebus quae imminent, solatio sit. — Hoc sibi destinasse pravas hominum sectas, cervicibus vestris impositas, imo hoc denuntiasse insigni audacia se velle, nostis; delere catholicum in Gallia nomen. Eam nempe contendunt extrahere radicitus ex animis vestris fidem, quae avis et maioribus gloriam, patriae prosperitatem verendamque amplitudinem peperit, vobis levamenta aerumnarum ministrat, pacem tuetur tranquillitatemque domesticam, viam munit ad beatitatem adipiscendam sine fine mansuram. In huius defensionem fidei summa vi incumbendum vobis putatis esse scilicet: sed hoc habete, inani vos nisu laboraturos, si dissociatis viribus propulsare hostiles impetus nitemini. Abiicite igitur, si quae insident inter vos, discordiarum semina: ac date operam, ut tanta omnes conspiratione voluntatum et agendi similitudine coniuncti sitis, quanta esse decet homines, quibus una eademque est causa propugnanda, atque ea causa, pro qua quisque non invite debeat, si opus fuerit, aliquam privati iudicii iacturam facere. — Omnino magna generosae virtutis exempla detis oportet, si, quantum est in vobis, vultis, ut officium est, avitam religionem a praesenti discrimine eripere: in quo benigne facientes ministris Dei, divinam peculiari modo benignitatem vobis conciliabitis.

At vobis ad patrocinium religionis digne suscipiendum, recte utiliterque sustinendum, illa esse maxima arbitremini: christianae sapientiae praeceptis vosmetipsos conformari adeo, ut ex moribus atque omni vita professio catholica eluceat; et arctissime cum iis cohaerere, quorum propria est religiosae rei procuratio, cum sacerdotibus nimirum et Episcopis vestris et, quod caput est, cum hac Apostolica Sede, in qua, tamquam centro, catholicorum fides et conveniens fidei actio nititur. Sic ergo parati atque instructi, ad hanc pro Ecclesia propugnationem fidenter accedite; sed videte, ut fiduciae vestrae tota ratio in Deo consistat, cuius agitis causam: eius idcirco opportunitatem auxilii implorare ne cessetis. Nos vero, quamdiu ita vobis erit periclitandum, vobiscum praesentes cogitatione animoque versabimur; laborum, curarum, dolorum participes: simulque prece atque obsecratione humili ac supplici apud Auctorem Statoremque Ecclesiae instabimus, ut respiciat Galliam misericors, eamque tantis iactatam fluctibus celeriter, deprecante MARIA IMMACULATA, in tranquillum redigat.

Auspicem divinorum munerum, ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XI mens. Februarii anno M DCCCC VI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X.

II.

SS. D. N. PII PP. X.

allocutio habita in Consistorio d. XXI mens. Februarii M DCCCC VI.

Venerabiles Fratres,

Gravissimum apostolici muneris officium impleturi, vos hodierno die ad Nos convocandos censuimus. - Multa profecto acerba aeque atque iniusta, per calamitosissimam hanc tempestatem, Ecclesiæ quotidie inferuntur ac Nobis, qui, quantumvis immeriti, illius

(1) Act. V, 41.

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

« Sic est profecto. Posuit haec simul Deus,
Regnum ac timorem, quem nec aeratae globus
Phalangis arcet, nec Cyclopaeo domus
Vallata muro. Fulmen eductas quatit
In astra turres; quando sub humili casa
Securus aevum pastor impavidum trahit ».
Hinc excubare cogit attentum pavor
Partes in omnes; hinc peregrina latens
Sub veste Caesar, fata scitabor mea.
Est in propinquo summus astrorum arbiter,
Idemque furvi doctus antistes Iovis,
Cui paret Erebus, quemque venales ferunt
Ciere genios, sortis humanae fabros.
Adire certum est; consulam ignotus virum.
Flexisse Superos qui nequit, moveat Stygem (1).
Euphemiane, cuius ad carmen tremit
Vulgus silentum, et Orcus et Furiae et Chaos,
Si quis favori, si quis est auro locus,
Exprome genium Tartari eductum sinu,
Hecates Ephebum, quem per incertos ducem
Sequar tumultus.

Euphem. Grande et excelsum petis
Solitumque ducibus munus Augustis dari.
Sed, age; quis arte? Quantus ingenio? Quibus
Attemperatus moribus Genius placet?
Vin' te libido vastet? Vis per irarum faces,
Rabiemque dirae mentis in flammas agi?
Vis tigre et urso et hydra et inferno cane
Immanius saevire? Vis alto natent
Sanguine Penates? Genius hic (2) furias dabit:
Venale cernis omne furiarum genus.
Statue quid optet.

Zen. Levia memorasti nimis;
Haec iuvenis egi; maius his monstrum peto.

Euphem. Quae te creavit Stygia portentum soror?
Tot scelera iuvenis? Siste; placabo sitim.
En (3) Genius ipso peior Umbrarum Deo,
Ferax malorum. Mille facinorum vias
Artes nocendi mille foecundo sinu
Coercet; unus omne furiarum nefas,
Et quidquid alta nocte monstrum latet
Inspirat animis. Ibis, ut dirus vapor,
Ruina rerum, gentis humanae lues,
Hoc duce. Quid ultra? Solus implevit malis
Totum Neronem; saeculi exitium sui.
Placet?

Zen. Satis superque. Venerabor Deum (4)
Morum magistrum pariter, et vitae ducem.
Quod restat, unum est. Quando fatorum vices
Et destinatam cuique fortunam tenes,
Effare: quis hunc nexus astrorum manet,
Cuius solum natale, nascendi dies,
Et si quid ultra nosse lex artis iubet,
Hic exprimatur (5).

Euphem. Genere plebeio satus.

(1) *Ingreditur Euphemianus magus.*
(2) *Zenoni annulum profert, ex scrinio, quod secum portat.*
(3) *Prodit alterum annulum e scrinio.*
(4) *Deosculatur annulum.*
(5) *Zeno promit horoscopum suum charta descriptum et Mago exhibet, qui idem inspicit, ac fortunam regis aperit.*

Zen. Aurumque terra trahitur; effulget tamen.

Euphem. Truculentus ore, turpis aspectu, horridus.

Zen. Et scabra gemmam concha pretiosam tegit.

Euphem. Vi Martis altam gloriae affectat viam.

Zen. Ceras avorum sugat ignavum pecus,
Sanguis vetustus.

Euphem. Surgit in trabeas ducum;
Tandemque nati caede — proh! dirum nefas!
Regni prehendit culmen.

Zen. An fas, an nefas
Parum est petenti sceptra.

Euphem. Sanguinea manu
Patriam flagellat saevus, et regnum eruit.

Zen. Sic, quem gubernat, fulminat mundum Deus.

Euphem. Sed quid minaci prodit aspectu polus?...
Nil fabor ultra.

Zen. Fare, quid trepidas, senex?

Euphem. Timor eloquentem tardat.

Zen. Hortatur fides.

Euphem. Indicta cupiet fata, qui dici iubet?

Zen. Audita cupiet fata, qui dici iubet.

Euphem. Melius latebit quod diu latuit bene.

Zen. Melius patebit quod diu latuit male.

Euphem. Tacere liceat....

Zen. Cum iubet tempus loqui?
Stygiam paludem testor, allisum solo
Spargam cerebrum, quaeque proferre abnuis;
Cerebro tacentis fata disperso legam.

Euphem. Audi coactum placidus eloquium precor.

Zen. Quis quamne poenam vocis expressae luit?

Euphem. (1) « Sepultus ante fata sub tumulo evomet
Animam scelestam ».

Zen. Ah! quid remugisti, senex?
Tumulus?! Quid? Animam?... Repete fatales
[modos.

Euphem. « Sepultus ante.... »

Zen. Certus indictam canis
Ab axe sortem?

Euphem. Rite scrutatus.

Zen. Polos
Solumque pervagatus et lunae fibras?
Remurmura fatale carmen ocius.

Euphem. « Sepultus ante fata sub tumulo evomet
Animam scelestam ».

Zen. O bubo malefausti soni!
Feralis echo! Ditis inferni tuba!
Strix ominosa! Guttur (2) eliso expuat
Linguam palato.

Euphem. Parce, proh superum fidem!
O parce senio!...

Zen. Cuius horrendae vomunt
Tot scelera fauces? (3) Bufo avernalis, cape,
Vora malignis fata cum foliis; vora,
Praeco malorum! Mene sub Stygem dari
Vivum, videntem! Dira Fatorum omina!

(Ad proximum numerum).

(1) *Adstrictus mortem Zenonis explicat.*
(2) *Aggreditur Euphemianum tamquam suffocaturus.*
(3) *Zeno laceratam chartam horoscopi Euphemiani frustra resistentis ingerit in os.*

diuturna non fuere. Serbi enim nova hac lege maximum sibi parari detrimentum rati, ad meliora consilia animum iam inclinant ita ut inter Goluchowski, Austrum legatum, atque Vuic, Serbum, de compositione amice agatur. Sed Bulgari adhuc quo magis possunt ne ea concordia restituatur obsistunt, quamquam et Rumeni et finitimi Turcae magis pacem servandam quam odia quaerenda et iurgia suadent.

Gallorum ira in Venezuelanos.

Invidia Gallos inter atque Venezuelanos sensim crescit: utraque enim gens suum iam legatum revocavit vicissim. Americana autem nordica respublica Gallis apprime favet, quorum naves brevi Venezuelanum ad litus iter facient, ut sua iura tueantur.

Sinarum, et Candiae insulae negotia.

In ultimo oriente, atque maxime in meridionalibus Sinarum provinciis, nonnullae contra Europaeos seditiones motae sunt; idque praesertim Shan-gai atque Canton in urbibus; verum brevi atque fortiter militari manu sedata iurgia fuere.

Pariter ut forti animo procederetur Candia in insula oportuit, ubi Italicis petitionibus reliquae gentes passim faverunt, decernentes ut Italici militis per comitia interempti poenam et culpam civitas pecunia luat; qua quidem [illegible] iam nonnulla sibi vectigalia Itali addicere.

Hungaricae res.

Hungarorum legatorum populi contentiones nondum compositae sunt. Gautsch dynasta atque administrorum praeses multa iam Germanicae factioni concesserat; at Germani acriter semper ei obstitere. Bohemorum autem factio pari contumacia sua iura asseruit noluitque ad concordiam redire. Neque haec tantum municipum in aedibus facta sunt; verum etiam apud Senatores huiusmodi certamina invaluerunt. Omnes enim Senatores unanimi suffragio Gautschii rogationem sese reiecturos praedixere, quod reapse facient. Andrassy, Hungarorum Comes, a Francisco Iosepho Caesare exceptus, iterum de sermone quo ducere Hungarorum exercitum deceat diu rem agitavit; quamquam nihil hactenus decretum est, nihilque immutatum. Haec inter, qui Kossuthium sequuntur, omnem lapidem movent, ut suae gentis iura Caesar definiat et sanciat, Germanorum aliorumque aemulatione omnino posthabita. Itaque ad arma pecuniam sese nullam lege daturos obtestati sunt nisi antea de sermone Hungarico adhibendo suis militibus venia fiat, atque nisi suas oeconomicas res ab Austrorum bonis et opibus seiunctas viderint. Quid igitur? Componendae discordiae nulla hactenus spes effulget.

Gallorum civiles tumultus.

In Gallia non sine magna catholicorum ira ad bona templorum dinumeranda reipublicae magistratus varias per ecclesias iam accesserunt. Catholicorum enim agmina advigilantes veluti excubias ante fores templi et ipsum intra templum agunt. Luctae inde cum vigilibus asperae, quibuscum ad pugilatum usque ventum est; cui ut parceretur, in aedibus Sanctae Clotildis Lutetiae et alibi... aquaticis fistulis in catholicorum agmen milites usi sunt!

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia, expletis municipum electionibus, factioni *liberalium*, quos dicunt, suffragia populi pleraque favisse apparuit, atque Campbell Bannermann administrorum praesidis consilia maxime probari.

In Bulgaria oratores populi inita iam foedera cum Italis et Gallis probaverunt.

In Gallia de pecuniaria domestica re examinata est summa, atque de opificum emeritis stipendiis solvendis disceptatum. Rogationem de magistrorum libertate ad municipes oblatam legati unanimi suffragio reiecerunt, atque administrorum gestionem approbarunt.

In Germania apud municipes rogatio oblata de retributione ipsis oratorum populis quotannis solvenda. Natali die Wilhelmi Caesaris redeunte, senatores nonnulli novissime adlecti sunt.

In Italia summorum administrorum collegium immutatum, cui Sidney Sonnino dynasta praepositus.

PER ORBEM.

Mense Ianuario d. XXI Pontificia Helvetica cohors IV centenaria solemnia inaugurat, lapidemque in Vaticana statione sua ad rei memoriam ponit.

— d. XXII in Urbe publica habetur contio ad Russicam libertatem invocandam; deinde in milites ad quietis tutelam deputatos plebs abiecte insurgit, quorum nonnulli vulnera patiuntur.

— Brasiliensis loricata navis *Aquidaban* Javacanya in portu ob ignitam pulverem incensam disrumpitur atque in ruinam trahit homines tum ipsi addictos, tum qui ad eam studiorum gratia advenerant, numero ducentos et ultra.

— Nivalis insolita tempestas ad Chicaginem magna ruina furit.

— d. XXV theatrum Antuerpiae maximum igni absumitur.

— d. XXVIII Tridenti in urbe monumentum Iosepho Verdi solemniter dedicatur.

— Petrolei promptuaria cella ad Tamesin flumen ignis praeda fit: liquidum per aquas defluens quasi in flammarum fluvium Tamesin commutat.

— d. XXIX Daniae in urbe capite repentino morbo corripitur Christianus IX Danorum rex, Gottorp in oppido natus die VIII mens. Aprilis an. MDCCCXVIII. Ei succedit Fridericus filius, eius nominis VIII.

— d. XXXI Insulis in urbe, ac deinceps passim in pluribus Galliae civitatibus, Christifideles in rei publicae administros insurgunt qui ex lege recens lata de rebus civilibus a religiosis seiungendis ad repertoria Ecclesiarum facienda accedunt.

— Mense Februario d. II tum Ruscinone, tum Busto Arsizio in Septemtrionalis Italiae oppidis aedes ad gossipia atque lina elaboranda flammis vorantur.

— d. III ex vulcano subaqueo vel ex marino terrae motu Bonaventura, Columbianae civitatis oppidum, mari improviso irruente, destruitur.

— Rhedonensi in civitate senum hospitium inceditur; homines undecim misere vitam amittunt.

— d. VIII Parahyba flumen Campos urbem in regione S. Sebastiani Fluminis Ianuarii inundat magna rerum et hominum caede.

— Antofagasta in Cilensi oppido opifices ferriviis addicti opus ex condicto deserunt cumque ordinis custodibus cruenta proelia committunt.

— d. X Portsmouth in Anglico portu loricata navis *Dradnought*, maxima omnium quae hucusque constructa sunt, in mare immittitur.

— d. XIII Tumaco atque Esmeralda, Equatorianae regionis oppida, ingenti terrae motu vastantur.

— d. XVI Fiume ex urbe tumultus fiunt ob omnium operariorum a suis operibus desertionem.

— d. XIX terrae motus nunciantur ex Americanis regionibus Dominica et Sancta Lucia.

AENIGMATA.

I.

Aerem agit *totum; caput* eripe, basiat; eius
Caede etiam *pectus*, sanguine tingit humum.

II.

Arcanum volitat; *caudam* si dempseris, altus
Tunc iam viventum pectora somnus habet.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus cui titulus:

IOANNIS BAPTISTAE PESENTI
PUERILIA
sive Carmina graeca, latina, itala.

Aenigmata an. VII, n. XII proposita his respondent:

1) Gesta-mina; 2) S-anguis.

Ea rite soluta miserunt:

Senior Astensis. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Renk par., *Davenportu*. — Petrus Tergestinus. — Collegium Scholarum Piarum, *Stella*. — Callistus Amalberti, *Albio Intemelio*. — G. Vallas, *Corduba*. — I. Walter, *Neo-Eboraco*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Vinc. Starace, *Neapoli*. — I. Ortiz, *Morella*. — G. Lamental, *Parisiis*. — I. Guerra, *Aletio*. — Ric. Brondel, *Brugis*. — Michael Vidal, *Palma in insula Maiorica*. — Arn. Rudzianski, *Tyflisio Cartalinorum*.

Sortitus est praemium

SENIOR ASTENSIS,

ad quem missum est opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE IOANNIS LA FONTAINE
latine conversae a FRANC. XAV. REUSS, C. SS. Red.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Sant'Antonio di Padova (1195-1231) per ALBERTO LEPITRE. Traduzione sulla 3ª edizione francese. Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., MDCCCCV. (Ven. lib. 2).

Le sacre stazioni di Quaresima in Roma. Indidem.

ROSA VAGNOZZI (*Myrmica Parva*). **Novelle d'amore.** Romae, ex officina Forzani et Soc., MDCCCCVI. (Ven. lib. 1,50).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis*, Phil. Cuggiani.